

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

XXIV.

Georgius, D. G. Dux Saxonie, Landgrafus Thurun-
gia & Marchio Misnae.

S. Gra. & Fav. Doctissime Erasme: quantum nos Epistola nostra studuimus
 Henrieum Espendorium ab inquietandis feliciss. studiis tuis revocare,
 tanto majorem concepimus dolorem, ubi literas tuas una cum codicillis, totius
 fabulæ seriem complectentibus, cognovimus perlegendo. Quid enim indi-
 gnius, quam te, cum ætate tum eruditione longè gravissimum virum, ab ho-
 mine tali infestari. Ego verò, optime Erasme, si tuo loco essem, ita me adver-
 sus illum gererem, ut de ipsis improba magnificentia minus quam de muscis
 quod dici solet, prætervolitantibus laborarem. Vides enim, quid ista concer-
 tatione capteret, nimirum ut per æqua perque iniqua tecum commissus orbi cele-
 bris fiat. Habuit hoc studio jam inde homo Tragicus & personatus, ut malit
 videri quam esse generosus ac nobilis, alioqui quorsum erat opus tot ansas hic
 illic in rebus nullius momenti captare, qui conflectaretur tecum? Tum, tanta
 improbitate, post commentas injurias pacisci ac postulare, ut libello aliquo
 publice edito te illi declarares amicum? Neque vero tibi autor esse velim, ut
 codicillos actionum vestrarum edas. Indignissimus enim est, quem posteritas
 ex te cognoscat. Quid quod in iisdem multa præter æquum & bonum
 teque indigna apparent acta pactaque, nisi quod nusquam non tuam agnoscam
 modestiam, qua in placandis vel infestissimis hostibus uti soles. Etsi vero uni-
 ce cupiam te ab ista concertatione tam iniqua ad serere ac vindicare, tamen cum
 animadvertam, usque adeò literas apud illum nostras nihil promovisse, ut mul-
 to quam ante in te sit factus animosior sævierque, nolumus causam tuam, no-
 stra intercessione amplius gravare. Itaque nec consilium nobis est, ullo titulo
 in patriam revocandi hominem, quippe qui jam ante non sine periculo tum fa-
 mæ tum rerum edocti simus, quam non sit tutum ejusmodi ingenia functionibus
 publicis admovere. Neque nos illum perditum cupimus. Sed quia in nostra
 manu non est, sanare eum, quibusunque etiam muneribus præficiatur; com-
 modius est, ut illum suas sibi res habere sinamus. Neque arbitror te nobis con-
 fulturum, si tuum hic serio appellare consilium, talem adsciscere nobis. Ce-
 terum quod isthic Evangelium ita invalescere scribis, ut tibi cum aliis multis
 bonis de migrando sit cogitandum, quanquam id nobis permolestum est audi-
 tu, & cupiam tuam id ætatem ferre, ut tibi nobiscum agere liceret: tamen
 quum tu tam sæventibus injuriis solus obnoxius non sis, preferendum est tibi
 infortunium nobiscum commune. Non enim facile credas, quam indignis ac
 falsis contumeliis hisce nos diebus & Lutherus de integro traduxerit, edita in
 nos planè tragicā responsione, nisi ex libellis ultro citroque scriptis cognoscas.

N n n n n 2

Et

Et quum videam, hæc secula ingenia non ita multo saniora, præsertim inter istius factionis homines ferre: boni consulenda sunt, quæcumque etiam præter dignitatem & meritum adeò nostrum in nos committantur. Itaque multa, imo omnia, danda sunt charitati Christianæ, atque publicæ tranquillitati, si modo hac nostra facilitate causam nostram non reddimus deroirem. Bene vale. Datum Dresdæ, sub Idus Martii, Anno M D XXIX.

Georgius, Dux Saxonie,
manu propriâ.

XXV.

D. Jo. Pappo.

QUæ tibi hac epistola scribo, ea Scholarcharum jussu scribo, qui hodie mihi mandarunt, ut abs te clavem Domus Thomanæ petam, quam dem Doctori Giphanio. Quam igitur libenter obtemperas Scholarchis & illorum auctoritas tibi chara est, & charum tibi Præpositi jus est, tam tu libenter, mihi D. Pappe, & illis postulantibus & mihi petenti facito, quod gratum decet virum facere. Quod capitulum interponere conaris, id ego meo juri obficerem statuo, spero tamen & me meum jus & Scholarchas suam auctoritatem, suumq; beneficium Doctori Giphanio collatum, facile capitulo probare posse. Sed istud quod petimus, ante factum oportuit. Vale 20. Novembr. 1578.

Joannes Sturmius, Rector &
Præpositus.

XXVI.

Jacobus Sadoletus Episcopus Carpentoracti.

Annus est, aut eo plus, cum binas abs te literas accepi eodem exemplo, quatum quæ posterius scriptæ erant, cum priores mihi redditæ fuissent, esset autem in illis tua de mea incolumente & oportuno ad meam ecclesiam receptu gratulatio plena amicissime voluntatis, recordor me tum, ut noster amor ferebat, diligenter tibi rescripsisse: post mihi allatæ sunt alteræ, una cum Psalmo octuagésimo quinto & tua in illum interpretatione: cuius ego lectione mirificè fui delectatus, tuamque illam admirabilem ingenii vim & copiam in eo etiam recognovi, sed quo minus tibi de